



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. VI. Sancti Antonij vita breuiter ob oculos ponitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

tesseram gestant.

Huius ordinis insigne monasteriū visitur Traiecti ad Mosam, quod apud Belgas nunc est vnicum: cetera namque desierunt

Totius ordinis caput, vt dixi est S. Antonij Abbatia in dicecesi Viennensi sita.

CAPVT VI.

S. Antonij vita breuiter ob oculos ponitur.

ANtonius Aegyptius nobilibus, & Christianis parentibus natus, quibus adolescens orbatus est, cum ingressus Ecclesiam ex Evangelio audiuisset: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quae habes, & da pauperibus*, tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimauit. Itaque vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit. Quibus solutus impedimentis, caelestis vitae genus in terris colere instituit. Sed cum in periculosum illud certamen descenderet, ad fidei praesidium, quo erat armatus, adhibendum sibi putauit subsidium reliquarum virtutum: quarum tanto studio incensus fuit, vt quemcunque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari stude-
ret.

Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, mansuetudine, misericordia,

ricordia, humilitate, labore, ac studio diuinarum Scripturarum superabat omnes. Ab hæreticorum & schismaticorum hominum, maxime Arianorum, congressu & colloquio sic abhorrebat, vt ne propè quidem ad eos accedendum diceret. Humi iacebat, cum eum necessarius somnus occupasset. Ieiunium autem adeò coluit, vt salem tantummodo ad panem adhiberet; sitim aqua extingueret: neq; se ante Solis occasum cibo aut potu recreabat, sæpè etiam biduum cibo abstinebat: sæpissime in oratione pernoctabat. Cùm talis tantusque Dei miles euasisset *Antonius*, sanctissimū iuuenem hostis humani generis varijs tentationibus aggreditur, quas ille ieiunio, & oratione vincebat. Nec verò frequens de Satana triumphus securum reddebat *Antonium*, qui diaboli innumeras artes nocendi nouerat.

Itaque contulit se in vastissimam Aegypti solitudinem: vbi quotidie ad Christianam perfectionem proficiens, dæmones (quorum tantò erant acriores impetus, quantò *Antonius* ad resistendum fortior euadebat) ita contempnit, vt illis exprobaret imbecillitatē: ac sæpè discipulos suos excitans ad pugnam contra diabolum, docensque quibus armis vinceretur: *Mihi credite, dicebat, fratres, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariã paupertatem, misericordiam & humilitatem, maxime verò ardentem amorem in Christum Dominum, cuius vnico sanctissima crucis signo debilitatus aufugit.*

git. Sic autem dæmonibus erat formidolosus, ut multi per Aegyptum ab illis agitati, inuocato nomine Antonij liberarentur: tantaque erat eius fama sanctitatis, ut per litteras se eius orationibus *Cōstantinus magnus* Imp. & filij cōmendarent. Qui aliquando quintum & centesimum annum agens, cum innumerabiles sui instituti imitatores haberet, cōuocatis monachis, & ad perfectam Christianæ vitæ regulam instructis, sanctitate & miraculis clarus migravit in cælum decimo sexto Kalend. Februarij.

S. Antonij res gestas scripsere S. Athanasius, S. Hieronymus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & alij.

CAPVT VII.

Ordo Guilielmitarum, per S. Guilielmum Aquitaniæ Ducem institutus.

Guilielmus Aquitaniæ Dux, & Pictauiorū Comes, cum schisma aduersus Innocentium II. Pontificem Maximum fouisset, & eos, qui verum Pontificem sectantes, Petrum Leonem pseudopapam execrabantur, minis & terroribus exagitasset, alijs eiectis, alijs carceri inclusis, à S. Bernardo Abbate ad eum profecto.

fecto.